


LVNÆ DIE 18 M. APRILIS A. 2016

A.d. XIV Kal. Maias a. MMXVI

I 9 I

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRIX
Francisca Deraedt

Rue des Aveugles, 14 A, B - 4210 Marneffe.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org

Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128

POST BRUXELLESEM ICTVM TROMOCRATICVM

– Francisca, Marcus, Tzimmakus cum Erasmo –

Terror: hoc vocabulum nostris temporibus factum esse videtur omnium usitatissimum. Est etiam unum ex his verbis, quorum vis geographice variatur: impetus enim tromocraticus in Malia, In Iraquia, in Afgania, nuntius est tristis sed longinquus et pæne unicolor, cum idem tumultus hic apud nos, Matriti, Londinii, Lutetiæ, Bruxellis provocatus omnes sensus excitet: ante oculos stat ater armorum color, sanguis et facies pallidæ, concursus ubique necnon saucii vix agnoscibiles, in auribus hæret sirenarum stridor, pulveris odor exhalatur, regnat horror, horror nobis quidem, qui bella non sumus passi, novus.

Estne mundus subito factus insanus? Nequaquam. Mundus sic est ut semper fuit, plenus furore et tumultu, tamquam si nemo quicquam disceret a præteritis, tamquam si mentiretur proverbium, historiam esse magistram vitæ. «Deum immortalem», ait Erasmus, «quam frivolis de causis quas bellorum tragedias excitamus!»¹ Melius dicere non potuit.

Postquam Bruxellis die 22 m. Martii aliquot furiosi luctum sparserunt falso religionis nomine, multa benevolentiae testimonia nobis undique allata sunt, pro quibus gratias sinceras agimus amicis lectoribus. Inter eos Marcus Cristini, vir in historia rebusque politicis versatus, rem ita acu tetigit ut eius litteras vobiscum hic communicare velim:

«Marcus Gaio Franciscæque s.p.d.

«Ingenti animi perturbatione acrique mærore legi in interreti et, accenso televisorio, vidi urbem Bruxellas terrore occupatam, cruore aspersam, tromocratica pravitate vastatam. Imo ex corde exopto, ut vos, propinqui amique vestri bene valeatis. Temporibus hodiernis sævioribus verbis caremus, ut horror tam sceleratus, neces tam nefariæ, impetus tam perfidi, luctus tam flebiles exprimantur, reprehendantur, damnentur. Sicut evenit die 11 mensis Septembris a. 2001 et die 13 mensis Novembris a. 2015, Islàmica tromocratia non solum cives Americanos vel Francogallos, sed omnes res publicas Hesperias et cunctos viros mulieresque liberos, civilis cultus humanitatisque amantes vulneravit. Anno peracto post cædem in ephemeride *Cbarlie Hebdo* ubique aspiciabantur tabellæ chartulæque cum verbis 'Ego sum Carolus'. Hodie omnes, nos saltem Europæi, Belgæ sumus.

«Ante sæculum de Borussorum incursione adversum inermes cives Belgas orbis universus indignatus est, qua de causa Britannicum Imperium Germaniæ bellum indixit, cum tanta superbia tantaque iniuria periculum letale omnibus nationibus esset. Nunc opus est eadem virtute, ut Res Publica Islàmica eiusque

asseclæ funditus deleantur. Ad hoc opus perficiendum verba non iam sufficere omnes intellegimus; hoc dicendo doleo, sed bellum incohandum, pugnandum, vincendum est. Ignavia, stultitia timiditasque præsidis Obamæ et Unionis Europeæ, ne de Russorum Iranianorumque infidis propositis dicam, Syriam dissolvi Iraquiamque dividi siverunt, ex quibus terris arma, tromocratæ et scelestas consilia ad Europam pervenerunt. Morbus diffunditur, mala tromocratiae herba in urbibus nostris radices immisit, arbor illa nefaria crescit, nunc hostes et intus et foris premunt.

«Qua de causa Islàmica Res Publica, cuius exemplum tromocratæ ubique terrarum imitantur cuiusque sicarii Europam, Asiam atque Americas cruentant, quam primum delenda est. Deinde incolæ cuncti Islàmici, qui palam vel clam interfectores cædis Lutetiensis Bruxellensisque adiuverunt, laudaverunt vel ad astra sustulerunt de eorum fidelitate erga patriam, leges et democratiam interrogandi sunt. Qui cœperunt sincere pænitere, manere in Europa possunt, qui non, ad eorum nationes regredi debent, aliter bella civilia, immo plusquam civilia Europæas nationes decenniis futuris lacerabunt.

«Sæculo præterito quæstio maximi momenti fuit: 'Possuntne communismus et democratia una vivere?'. Historia negavit. Quæstio maximi momenti huius sæculi est: 'Possuntne Islàmica religio et democratia una vivere?'. Circum me specto, multas nationes Islàmicam fidem confitentes cerno, sed paucas democratas et nullam rem publicam vero honestam, iustam atque omnibus æquam conspicio. Posterius accuratius quam nos respondebunt, hodie solum clamare possum: tantum religio potuit suadere malorum?»²

«Vobis opto lætum, si fieri potest, et præcipue pacificum festum Paschatis!

«Optime valete.»

Tzimmakus autem Richard, qua est iuventute, iram, dolorem et rei pudorem vertit in ironiam:

«Ad tromocratas

«Tzimmakus tromocratis s.p.d.

«In nomine Belgarum Europæque vobis gratias maximas ago. Nam Martis die vicesimo secundo civitatem nostram aggredientes non modo tremefecistis sed etiam tribus pyrobolis deiectis expergificistis.

«Magis dicatis ea tria pyrobola multos intercidiisse obnoxios. Recte dicitis, triginta duo obnoxii occisi triginta duo nimii occisi. Centies tamen et decies centena milia Belgarum adhuc vivunt. Vereor ne impii nondum perierint. Adhuc vobis paululum laborandum.

«Cui responsum vestrum sit sine dubio sub umbra ‘Daesh’ minante horrere Belgas Europæosque. Certe. Metus inveniri vicatim potest. Dicam enim, quia metuimus, nos proximos vocasse, ac solatos ac recordatos esse quantum alter propenso animo alteri sit.

«Cui consilium vestrum præcipue esse in memoriam reducere nos impios respondeatis. Confiteor me id haud meminisse (veniam mihi detis!). Nos Belgas Europæosque hominesque meminimus atque nos genus hominum amare.

«Non dubito quominus vos, carissimi tromocratae, stupeatis quæ verba hæc epistula contineat. Reliquit nam vobis incertum num ictus vestrer bene successerit. Requiescite, quæso, quod peroptime successit! Non modo Belgæ oblitum sunt linguarum discordiæ ad proxima comitia usque (hoc solum iam est mirabile factum!), sed etiam largiti sunt amorem vitæ.

«Tribus pyrobolis deiectis effusa est unda amoris. Igitur me decet vobis gratulari quod optimum opus perfecistis.

«Tzimmakus

«P.S.: Bonis non abutendum est!»

Qui se non satis peritum iudicabit, quam ut sententiam proferat de his gravibus quæstionibus, non sine fructu confugere poterit ad veterum sapientiam, quæ nobis sæpe pervenit proverbii expressa. Aristoteles enim, ait Erasmus, «existimat nihil aliud esse parcemias quam reliquias priscæ illius philosophiæ maximis rerum humanarum cladibus extinctæ». ³ Ac verum est singulis fere vitæ casibus aliquod convenire proverbium, quo sive præceptum, sive explicationem, sive etiam solacium invenias. Quod autem adagium hic afferre possimus, nisi clarissimum illud *Dulce bellum inexpertis*? Etsi studium pacis, quod Erasmus in hoc longo textu profitetur, aliquatenus videri possit simplex et ingenuum, tamen præstat ea legere, quæ monet interesse inter hominem et beluam:

«Primum igitur, si quis habitum modo figuramque corporis humani consideret, an non protinus intellecturus est naturam – vel potius Deum – animal hoc non bello sed amicitiae, non exitio sed saluti, non iniuriæ sed beneficentiæ genuisse? Nam ceterorum animantium unumquodque suis instruxit armis: taurorum impetus armavit cornibus, leonum rabies unguibus, apris fulmineos affixit dentes, elephantos præter cutem et molem promiscide quoque tutatus est, crocodilum crustis velut laminis communivit, delphinis teli vice pinnas addidit, histricem spinis, raiam aculeis defendit, gallis calcar affixit; alia testis, alia corio, alia cortice

communivit. Sunt quorum incolumitati pernecitate prospexit, veluti columbis; sunt rursus quibus venenum teli vice tribuit. Addidit his speciem tætram ac beluinam, addidit oculos truces, vocis stridorem; insevit nativa quædam dissidia. Solum hominem nudum produxit, imbecillem, tenerum, inermem, mollissima carne, cute levi. Nihil usquam in membris quod ad pugnam aut violentiam datum videri possit; ut ne dicam interim quod cetera fere statim ut nata sunt sibi sufficiunt ad vitam tuendam, solus homo sic prodit ut multo tempore totus a subsidio pendeat alieno. Nec fari novit nec ingredi nec cibum capere, vagitu tantum implorat opem, ut vel hinc coniici possit solum hoc animal totum amicitiae nasci, quæ mutuis officiis et coit et cohæret potissimum. Proinde natura voluit hominem vitæ munus non tam sibi quam benevolentiae acceptum ferre, quo videlicet intellexeret sese gratis esse dicatum ac necessitudini. Tum speciem dedit non tætram et horridam, uti ceteris, sed mitem ac placidam, amoris ac benevolentiae notas præ se ferentem. Tribuit oculos amicos et in his animi signa. Dedit brachiorum sinus ad complexum. Dedit osculi sensum, quo ceu copularentur et sese contingerent animi. Uni risum attribuit, alacritatis indicium; uni lacrimas, clementiae et misericordiae symbolum. Quin et vocem dedit, non minacem et horrendam sicut beluis, sed amicam et blandam. Nec his contenta natura sermonis et rationis usum uni tribuit, quæ quidem res ad parandam et alendam benevolentiam in primis valet, ne quid omnino per vim inter homines gereretur. Insevit odium solitudinis, amorem sodalitatis; indidit penitus benevolentiae semina. Fecit ut quod est saluberrimum, idem sit et suavissimum. Quid enim amico iucundius? At rursus, quid æque necessarium? Proinde, si maxime liceret absque mutuo commercio commode vitam agere, nihil tamen iucundum videri possit absque socio, nisi si quis prorsus hominem exuerit et in feram degenerarit. Addidit insuper liberalium disciplinarum studium et cognitionis ardorem, quæ res, ut potissimum abducit hominis ingenium ab omni feritate, ita ad conciliandas necessitudines præcipuam vim habet. Siquidem nec affinitas nec sanguinis propinquitas arcioribus aut firmioribus amicitiae vinculis adstringit animos, quam societas honestorum studiorum. Super hæc admirabili quadam varietate dotes tum animorum tum corporum inter mortales partita est, nimirum ut singuli in singulis invenirent quod vel amarent ac suspicere ob excellentiam, vel ob usum et necessitatem ambirent et amplecterentur. Denique indidit divinae mentis scintillulam, ut nullo etiam ostenso præmio tamen per se iuvel bene mereri de omnibus; id enim

Deo maxime proprium ac naturale suo beneficio consulere universis. Alioqui, quid illud est quod haud vulgarem animo sentimus voluptatem, ubi quempiam per nos servatum intellegimus? Et ob hoc ipsum homo carus est homini quod insigni quopiam beneficio obstrictus est. Proinde Deus in hoc mundo velut simulacrum quoddam sui constituit hominem, ut ceu terrenum quoddam numen saluti prospiceret omnium. Sentiunt hoc ipsa etiam bruta, cum videamus non mitia solum, verum etiam pardos et leones et his immitiores bestias in magnis periculis ad hominis opem confugere. Hoc extremum omnibus asyllum, hæc ara est sanctissima universis, hæc nulli non sacra est ancora.»⁴

Quid autem de his verbis, quæ nos invitant ut de nostra propria historia paululum recogitemus:

«Si quis exactius rem excutiat, reperiet omnia fere Christianorum bella vel e stultitia vel e malitia nasci. Nonnulli iuvenes et rerum imperiti maiorum malis exemplis, historiarum quas de stultis prodidere stulti monumentis, ad hoc inflammati, dehinc instigantibus adulatorum hortatibus, exstimulantibus iureconsultis ac theologis, assentantibus aut coniventibus episcopis, fortassis et exigentibus, temere magis quam malitiose bellum suscipiunt et tanto totius orbis malo discunt bellum rem esse modis omnibus fugiendam. Alios occultum odium, alios ambitio, alios animi feritas in bellum impellit. Quandoquidem ne nostra quidem Ilias quicquam præterquam

*Stultorum regum et populorum continet æstus.*⁵

«Sunt qui non aliam ob causam bellum movent, nisi ut hac via facilius in suos tyrannidem exercent. Nam pacis temporibus senatus auctoritas, magistratum dignitas, legum vigor nonnihil obstant quominus liceat principi quicquid libet. At bello suscepto, iam omnis rerum summa ad paucorum libidinem devoluta est. Evehuntur quibus bene vult princeps, deiiciuntur quibus infensus est; exigitur pecuniæ quantumlibet. Quid multis? Tum demum sentiunt se vere monarchas esse; colludunt interim duces, donec infelicem populum usque ad radicem arrosierint. Hoc animo qui sint, an eos putas gravatim arrepturos oblatam quamcumque belli occasionem? Deinde morbum nostrum honestis titulis præteximus: inhio Turcarum opibus et obtendo religionis defensionem; obsequor odio meo et prætexo ius Ecclesiæ; servio ambitioni, sequor iram, rapit animus ferox et impotens et ruptum fœdus, violatam amicitiam, omissum nescio quid de sponsalium legibus aut simile quippiam causor. Iam dictu mirum est quam non

assequantur hoc ipsum quod affectant; et dum stulte vitant hoc aut illud malum, in aliud aut etiam in idem multo gravius incidunt. Etenim, si gloria ducuntur, non paulo magnificentius est servare quam perdere, multo pulchrius exstruere civitatem quam demoliri. Deinde, ut prosperrimo Marte res geratur, quantula gloriæ portio redibit ad principem, unde magnam partem sibi vindicat populus, cuius pecunia res confecta est, maiorem miles exteris – ut plerumque fit – et conducticius, nonnullam duces, maximam fortuna, quæ cum in omni negotio, tum in bello valet plurimum. Si sublimitas animi stimulat in bellum, vide, quæso, quam non recte tibi consulis ista ratione. Dum uni non vis cedere, puta vicino principi, fortassis affini, forsitan olim bene merito, quanto abiectius te supplicem facis, dum suppetias imploras barbarorum, et, quod est indignius, omni facinorum genere contaminatorum hominum, si modo homines oportet vocare huiusmodi beluas; dum incestis, homicidis, prædonibus – per hos enim potissimum bellum geritur – polliceris, adularis, palparis. Et dum in æqualem feroculus esse studes, infimæ mortalium fæci teipsum cogere submittere. Dumque paras qualemcumque finitimum suis sedibus deiicere, pestilentissimam nebulonum colluviem in tuas sedes admittas oportet. Non fidis affini et armatae multitudini credis teipsum? Quanto tutiorem poterat reddere concordia!»⁶

En vide, bone lector: non est belua tam immanis, quin tamen aliquid boni afferat: hodie enim tromocratarum beneficio aurea Erasmi verba legere potuimus. ☞

Francisca DERAEDT

1. *Dulce bellum inexpertis*, Ad. 3001.

2. *Lucr. Nat. I*, 101.

3. «Quid sit parcemia», *Adagiorum proœmium*.

4. *Opera omnia Desiderii Erasmi* (vulgo ASD), Amstelodami, Elsevier, II-7, p. 14-15, 45-95.

5. *Hor. Ep. I*, 2, 8.

6. *Op. cit.*, p. 41-42, 880-920.

NVNTII DE REGIONE SAHEL

– scripsit Gaius Licoppe –

Ubique terrarum sunt Melissæ subnotatores, etiam in inexpectatis regionibus.

Inter eos est amicus noster Pater Sergius Galimberti, qui nonnulla seminaria nostra Latina participavit, et nunc Africanam regionem habitat, quæ, citra arenosas solitudines Saharæ sita, vocatur Sahel.

Ante duos annos commotus eram cum comperissem ducentas circiter puellas ex aliquo instituto catholico in civitate Nigeria armorum vi inopinanter ereptas esse a tromocratis, qui se ipsos vocant Boko Haram (i.e. «educatio occidentalis est peccatum»). Non solum liberatæ non sunt et de earum sorte nihil scimus, sed etiam usque ad recentes dies Boko Haram pergit mortiferos ictus terroristicos facere in magnam civitatem Nigeriam et eius vicinas civitates Sahelianas, Mali, Burkina Faso, Niger et Tchad.

Quadam data occasione amicum nostrum interrogavi cur hoc fieri posset, cum ex nuntiis in nostris regionibus diffusis scirem exercitus complurium civitatum consociatos esse in pugna contra Boko Haram, adiuvantibus expertis militibus Francogallis. Amicus noster mihi respondit hæc:

«Habito savanam (i.e. regionem aridam et parum herbosam), ubi 90% incolarum sunt illitterati.

«Video te mirari quod Boko Haram nondum est sublatum; nam tanta civitatum societate facta, hoc debuit fieri, sed facile non est. Restrictum territorium (cuius radius est 80 chiliometrorum) in savana Zambisa est eorum arx historica; hanc aream totam sparserunt minis displosivis hominibus vel curribus cataphractariis delendis; isti tromocratæ armis potentissimi sunt, quare, si foederalis exercitus Nigeriæ in eorum territorium irrumpere conabitur, hoc non fiet sine crudelibus pugnis necnon compluribus centenis militibus interfecit. Ne nimis multi milites occidantur, lente progreditur exercitus Nigeriæ. Alia causa est quod copiis civitatum consociatarum (Tchad, Niger et Cameroun) territorium Nigeriæ intrare non licet; eæ tantum secundum Nigeriæ limitem disponuntur, cum Nigeria petiverit ut ceteræ civitates sinerent suum exercitum rem solum gerere; dicunt enim Nigeriæ regentes se velle et posse rerum statum moderari, sine auxilio externo.

«Præterea nolimus oblivisci unam e civitatibus foederalis Nigeriæ, civitatem Borno, habitari a 65% mahumetanorum, quorum multi dubitant num alios mahumetanos oppugnare deceat.

«Is solus, qui vivit apud mahumetanos, re vera percipere potest complexitatem eorum mundi. In Europa res simplicificantur atque tantum e conspectu libertatis laicitatisque æstimantur, quæ notiones omnino ignorantur ab islamicis gentibus huius regionis traditione

imbutis.

«Quod spectat ad has ducentas puellas a sceleratis latronibus Boko Haram raptas, triste dictu, vix superest spes eas liberandi; verisimiliter coactæ sunt uxores bellatorum Boko Haram fieri et certe iam pepererunt; factæ sunt mahumetanæ et, si qua negavit, interfecta est. Duo anni sunt tempus nimis longum quam ut sperare possimus nos eas integras revisuros esse; quod si eveniret, damna psychologica essent irreparabilia.

«Incolarum incrementum est aliquid grave. Ante viginti annos mortalitas infantium adhuc tanta erat, ut vix cresceret incolarum numerus; vita brevis esse solabat. Inde ab eo tempore multa suscepta sunt ad gentium sanitatem meliorem faciendam et effectus fuit magna deminutio infantium mortalitatis cum immodico incolarum incremento. Multæ consociationes locales et N.G.O. (consociationes a regimine non pendentes) operam dant ut necessitas fecunditatis moderandæ explicetur; vix tibi fingere potes quam difficile sit hoc rusticis illiteratis inculcare. Intellegent pedetemptim homines sequentis ætatis; tempus necessarium est.»

His perlectis verbis, mecum interrogabam cur Boko Haram tot et tam varia arma moderna possideret. Veniunt re vera ex Libya, cuius insolentem tyrannum Kadhafi Occidentales voluerunt tollere; infeliciter, trucidato Kadhafi, fuit et adhuc est anarchia in Libya; copia armorum, quæ Kadhafi emerat tuteque condiderat, translata est ad aliam tyrannicam institutionem, Boko Haram nomine.

Aliud detrimentum in eo est quod Libya nunc patet continuo fluxui migrantium, qui miserales et nimis frequentes regiones Sahel relinquunt Europam petituri.

Eventa post «Ver Arabicum», quod dicitur, acta demonstrant populos Arabicos, omni ævo tyrannidi assuefactos et religione mahumetana ad obœdientiam formatos, omnino non esse paratos ut vivant in regimine democratico; nesciunt quid sit tolerantia, quæ est democratix fundamentum.

Tyranni raro honeste se gerunt ac plerumque potentia absoluta abutuntur; sunt tamen regiones, in quibus anarchix sunt præferendi. ☺

STVPENDVM XV^{um} SÆCVLVM IN SINIS

- scripsit Gaius Licoppe -

Sinenses terribile periculum Mongolicum tertio decimo sæculo non vitaverunt. Kubilai Khanus, Gengis Khani nepos, totas Sinas expugnavit, quarum anno 1279 imperator factus est, ac Mongolicam domum Yuan condidit. Eo regnante, Marcus Polo complures annos in Sinis degit (circiter 1274-1291); suam admirationem in libro, c.t. *De consuetudinibus et condicionibus orientaliū regionum*, narravit. Laudat inter alia urbem caput *Kambalik*, ubi erat magnificum imperatoris palatium.

Quamquam ætas Yuan prospera fuit, Sinenses Mongolorum dominationem ægre ferebant eorumque expulsionem patienter parabant, quæ acta est anno 1368; inter victores rebelles, omnes humili loco natos, unus ceteros præcallebat, qui factus est Imperator Hongwu, primus novæ vereque Sinensis Domus Ming.

Yongle, unus e Hongwu filiis tertiusque Domus Ming imperator, maximus est huius domus et unus e maximis totius Sinarum historiæ. Contra Mongolos semper timendos magnos exercitus compluries duxit (1402-1424), Magnum Canalem 1700 chiliometra longum perfecit et novam urbem caput creavit, Pekinum vocatam, ipso loco, ubi erat *Kambalik*, sedes Kubilai Khani.


Aliam stupendam rem quoque fecit, quæ nostra hic interest: magnas naves exstruendas curavit et ingentem classem ad Occidentem sexies misit, quæ usque ad Africæ litus orientale cursum direxit.

Ineunte quinto decimo sæculo, Sinenses Europæos præcedunt multis in rebus. Xylographiam iam a septimo sæculo adhibent, qua imagines vel textus multiplicant. Etiam tempore Domorum Song (960-1279) et Yuan (1269-1378) utuntur moneta fiduciaria eademque chartacea. Iam a duodecimo sæculo pulvis displosivus in variis armis est in usu.

In re nautica Sinenses quoque eminent. Magnetis usus nauticus comprobatur iam ineunte duodecimo sæculo. Eorum naves, Francogallice *jonques*, Anglice *junks* e lingua pæninsulæ Malaccæ vocatæ, sunt singulares. Locus hic non est de navium constructione technicis verbis disserendi; satis est nonnulla earum emolumenta citare, quæ ab omnibus facile percipi possunt.

Hæ naves velis statim agnoscuntur, cum bambusis¹ horizontaliter divisa sint in complures partes. Velum malo ita iunctum est, ut perfacile descendere possit; crescente vento, cum necesse sit expositam veli superficiem minuere, hoc simpliciter fit velum demittendo et inferiores eius partes unam post alteram complicando.

Aliud emolumentum: carina magnarum navium est loculata, id est in complures partes ita divisa ut, si casu foramen fiat in subaquanea parietis parte, carina non tota impleatur aqua nec mergatur. Et aliud: navium




J. Merrien, *Op. cit.*, p. 105.

gubernaculum est in media pupa adfixum multo prius quam in Europa. Ante Mongolorum invasionem, ætate Domus Song (960-1279), maxime florebat Sinarum pars meridionalis, i.e. circa Flumen Cæruleum (*Yangzi Jiang*) sita. Portus maxime meridionalis *Guangzhou* (Fr. *Canton*, ex Portugalsensi *Cantão*), in delta Rivi Margaritarum (*Zhu Jiang*) exstructus, ter maior erat quam Venetiarum portus secundum æstimationem Odorici de Portu Naonis,² qui tres annos in Sinis vixit inter 1323 et 1328; ibi tunc erant coloniæ mahumetanorum et Iudæorum, quæ commercium inierunt cum magnis insulis Sundæ, India et orbe mahumetano. Hoc commercium non solum fiebat extraneis navibus, sed etiam Sinensibus; ipse Odoricus in Sinas ex India vectus est nave Sinensi.

Imperator Yongle, cui tota est potestas in Sinis, de maiestate sua augenda curare incipit. Nonne imperatori a Cælo mandatum est ut in Terra regnandam curaret Supremam Pacem, respectis ordine et Domibus? Adventiciarum mercium commercium despicit, quod privatis interdicit, sed consuetudines diplomaticas cum extraneis civitatibus diu neglectas restituere cupit. Oportet quam plurimæ civitates Imperatoris dominium agnoscant et tributum solvant, dum ipse eis sumptuosa dona affert. Legationes in Asiam mittit, quæ non omnes benigne accipiuntur; Maracandæ,³ exempli gratia, in sede terribilis gentium domitoris Timur Lang, qui magnum imperium in media Asia regit, legati trucidantur.

Legatos per mare quoque mittere statuit Yongle. Eunuchus mahumetano Zheng He mandat ut magnam potentemque classem constituat, quacum expeditiones in longinquas civitates faciat. Scimus Sinenses iam diu naves fabricavisse ad navigationem maritimam aptas, sed nunc oportet multo maiores naves exstruere.



Navis-thesaurus iuxta caravelam multo minorem (voiles-aventures.com).

Classis, quam ducit navarchus Zheng He, constat e ducentis circiter navibus, quarum 62 maximæ, «naves-thesauri» vocatæ; 130-150 metra longæ et 40-60 metra latæ sunt; earum capacitas est 1500, etiam 2500 tonnarum; novem malis et velis atque sex stegis instructæ sunt; mille nautæ singulas administrant, quæ centum hospites cum familia accipere possunt. Tantæ naves in Europa tunc temporis non exstant.

Præter naves-thesauros, classis constat e navibus equis vehendis 110 metra longis et 8 malis instructis, navibus cibariis transportandis 80 metra longis et 7 malis instructis, navibus militibus vehendis 70 metra longis et 6 malis instructis, quibus accedunt variæ naves bellicæ 30-50 metra longæ et compluribus malis instructæ.

Hæ naves exstruuntur in navalibus in ripa Fluminis Cærulei (*Yangzi Jiang*) sitis, iuxta Nankinum, Imperii urbem caput. Non longe absunt silvæ, in quibus arbores cæduntur.

Notandum est, cum Portugalenses occidentale Africæ litus paulo post Sinensium expeditiones explorare cœperunt, eorum naves non plus quam 20-30 metra longas fuisse. Caracca⁴ Santa Maria, qua Christophorus Columbus exeunte quinto decimo sæculo in Americam vectus est, 40 tantum metra longa erat.

Difficile est res gestas septem expeditionum inter annos 1405 et 1433 factarum narrare, cum pleraque documenta ad eas spectantia a mandarinis consulto deleta sint, vehementi contentione orta inter eos et eunuchos, qui tempore imperatoris Yongle magnam potestatem adepti sunt.

In publicis annalibus Ming Shi invenitur cohærens relatio expeditionum maritimarum, sed nimis brevis. Feliciter duo expeditionum testes de his rettulerunt.

Ma Huan, mahumetanus, conscriptus est ut interpres linguarum Persicæ et Arabicæ. Anno 1412 quartam expeditionem participavit, postea duas alias; inter annos 1434 et 1436 librum perfecit c.t. *Recognitio generalis riparum oceani*.

Alter testis Fei Xin participavit tertiam, quintam et septimam expeditionem. Anno 1436 magnificum librum edidit imperatori dicatum, poetice inscriptum *Ratis ad stellas iens*; qui liber, quamquam minus exac-

tus et minoris momenti quam liber Ma Huan, tamen nonnulla nova affert.

Ineunte vicesimo sæculo duæ stelæ inventæ sunt inter Nankinum et mare, quibus expeditionum chronologia corrigi potuit. Positæ sunt iussu navarchi Zheng He et dicatæ deæ Tian Fei, Uxori Cælesti, nautarum tutrici, ut gratiæ agerentur pro protectione, qua nonnullis occasionibus fructa est classis. Succinctam septem expeditionum relationem exhibent. Quæ ergo his annis actæ sunt: 1^a exp. 1405-1407, 2^a exp. 1407-1409, 3^a exp. 1409-1412, 4^a exp. 1413-1415, 5^a exp. 1417-1419, 6^a exp. 1421-1423, 7^a exp. 1431-1433.

Dum prima expeditio paratur, complures cærimoniæ religiosæ habentur, buddhicæ præsertim; imperator enim Yongle ad buddhismum inclinatur. Sacrificia quoque fiunt in altari deæ Tian Fei, Uxoris Cælestis, ad eius clementiam petendam; nam in itinere non raro sæviunt typhones; fumo thuris involuta poma, assatæ carnes, chartulæ sacrificæ viniq; pocula in altari ponuntur et deis offeruntur. Sacerdotum taoistorum est dies ad solvendum idoneos prædicere. Ut patet, maxima tunc in Sinis erat tolerantia religiosa.

Classis primæ expeditionis 30 fere milia hominum vehit; naves-thesauri onerantur auro, vasis porcellanis, sericis et aliis, quæ vassalis largiantur. Solvit anno 1405 exeunte mense Iunio et navigat ad meridiem secundum Sinarum et Indo-Sinarum litus.

Prima statio fit in inferiore parte Indo-Sinarum, ubi tunc temporis est regnum Champa, Domus Ming vassalus. Incolarum mores sunt simplices. Eis est cutis atra; nudis pedibus ambulant et pro veste solum gerunt brevem tunicam et subligar coloratum; indiesimenter masticant *betel*, acria folia piperis *betle*, quo saliva fit rubra. Non desunt res pretiosæ in hoc regno, ut rubrum lignum *laka*, ebenus primæ notæ et genus quoddam thuris. Rhinocerotis ibi tunc vivunt, quorum cornu magni æstimatur in Sinis.

Inde iter ad meridiem pergens classis inter insulas Sumatram et Borneum navigat usque ad insulam Iavam. Cuius soli incolæ, quibus sit victus excultus, sunt advenæ mahumetani vel Sinenses. Indigenæ autem sunt foedi, rudes et bellicosi; illi quoque masticant folium piperis *betle*, cui addunt nucem arecam.⁵

Insula Iava divisa est in duo regna, occidentale et orientale. Cum Zheng He regi occidentali auxilium ferre incepit, 170 Sinenses, fortasse non idoneo loco expositi, trucidantur... per errorem. Rex occidentalis erroris noxius damnum sarcire vult magnam auri copiam porrigendo, sed Zheng He negat et auxilium potius regi orientali fert, qui postea fit rex totius insulæ.

Deinde transeundum est longum fretum Malaccæ inter pæninsulam Malæsiānam et insulam Sumatram, per quod accessus datur in Sinum Bengalensem, Oceani Indici partem. Ibi temporaneis ventis⁶ fruuntur; nam in Oceano Indico a mense Octobri ad mensem Martium ventus continuo flat ad occidentem; contraria res evenit inter menses Aprilem et Septembrem.

Classis petit occidentale Indiæ litus et ibi stationem complurium mensium facit in magno portu *Calicut*, per quem exportantur pretiosa condimenta arida.

Zheng He, ventorum temporaneorum mutatione utens, reditum inchoat. Traiecto Sinu Bengalensi et Fretu Malaccæ, stationem facit in portu *Palembang* in litore septentrionali partis inferioris insulæ Sumatræ sito. Ibi vivit magna prosperaque Sinensium colonia, cuius dux anno 1405 Nankinum petiverat, ut omnia suæ civitatis obsequia imperatori polliceretur. Interea autem quidam locuples vir se civitatis regem proclamaverat et advenas spoliabat. Zheng He statuit ducem ab Imperatore agnitum in munus restituere, quod non factum est sine prælio; in publicis annalibus legitur quinque latronum milia necatos esse et decem eorum naves incensas; ipse tyrannus captus est et ad Imperatorem deductus.

In documentis, quæ supersunt, vix quicquam dicitur de mala tempestate quam classis passa est. At in stela die 3 mensis Maii a. 1416 posita et Nankei inventa legitur classem primæ expeditionis terribili typhoni occurrisse; aliquem tunc dixisse «Dea Tian Fei nos protegit et auxilium Meccæ habemus»; cum hoc post reditum narraretur Imperatori, illum iussisse templum deæ iuxta Nankinum exstrui.

Classe in portum apud Nankeium æstate anni 1407 reducta, Zheng He mense Octobri ab Imperatore grate recipitur; eius maiestas aucta est in regionibus extraneis, ordo restitutus, ubi necessarium erat, et multa tributa reportata sunt.

Prima expeditione vix peracta, Imperator iubet secundam fieri. Nova classis, ex resartis et novis navibus constans, sine mora paratur sed solvere non potest ante ineuntem annum 1408; non ab ipso Zheng He in Sinis retento ducitur, sed ab eius legatis. Classis iterum petit portum *Calicut* in Indiæ litore *Malabar*. In ea regione calor et humiditas idonea est ad culturam piperis, zingiberis, curcumæ, cardamomi et ligni *santal*, quæ res, cum sint pretiosæ, multos mercatores undique alliciunt.


Narrator Ma Huan miratur quod Indi divisi sunt in quinque ordines inter se incommiscibiles. Quintus ordo constat ex inferioribus hominibus, qui se proster-

nere debent cum alicui superioris ordinis occurrunt. Cum res ad mare spectantes curent, ipse portus est impurus et ceteris ordinibus inaccessibilis. Hac de causa coloniæ extraneorum sunt maximæ utilitatis; frequentissimi sunt mahumetani; ipse portus præpositus est mahumetanus. Narrator mahumetanos magni æstimat; sunt, ait, honesti ac probi et aspectum præbent præstantem exquisitumque.

In portu *Calicut* Sinenses venum dant serica acu picta et mercatores mahumetani gemmas, margaritas et corallum. Hæ res attente examinantur ac de pretio scrupulose disputatur interdum per integrum mensem, sed cum ambæ partes pretium verbatim pactæ sunt, sufficit dextras miscere, ut ad summum constituantur.

Piper, unde præcipue oritur prosperitas portus *Calicut*, est fructus parvæ arboris, quæ crescit in collibus litoris *Malabar*; exportatur usque ad Sinas et Europam.

Rex litoris *Malabar*, quem Zheng He occasione primæ expeditionis convenit, vita functus est. Eius successor non despicit societatem Domus Ming, cuius potestas nunc patet, etiamsi oportet tributum solvere. Quare exeunte anno 1408 eunuchus dux Sinensium classis ei confert, magna cum cærimonia, signa regalis potestatis, inter quæ sigillum argenteum. Tributum parandum curat, auream cincturam delicate cælatam et pretiosis gemmis admirabilibusque margaritis ornatam;



Magnus Canalis (D. Lelièvre, Op. cit., p. 308).

nobilis regis legatus eam Imperatori offeret. *Calicut* fit fidelis Sinensium socia atque erit in India omnium expeditionum statio navalis.

Anno 1409 classis secundæ expeditionis revertitur in Sinas.

Imperator Yongle iam ab initio sui regni novam urbem caput creare in animo habebat; elegit in Sinarum parte septentrionali locum ipsum, ubi urbem caput creaverat Kubilai Khanus, ab Occidentalibus *Cambalic* vocatam. Novam vero urbem et magnum magnificentumque palatium exstruere est opus ingens. Ad tantam urbem exstruendam et alendam necesse est materias et cerealia e meridionalibus Sinarum provinciis apportare. Quare Magnum Canalem, cuius partes iam exstabant, anno 1413 perficit. Ille Magnus Canalis, amplius 1.700 chiliometra longus, extenditur a portu *Hongzhou* ad septentrionem non longe ab urbe Pekino. In archivo legitur quotannis amplius octo milia navium 200 aut 300 milia tonnarum cerealium e meridie Pekinum transportare.

Ipsa anno 1409, quo revertitur secunda expeditio navalis, tertia proficiscitur, duce ipso Zheng He. Anno 1410 stationem facit in portu *Malacca* in litore pænisulæ Malæsiæ, quæ ab Antiquis vocabatur Chryse Chersonesus; qui portus, cum ad angustissimam freti Malaccæ partem situs sit, navium transitum regit. Quare iam ab anno 1405 Sinenses significaverunt Malaccam esse in tutela sua et ibi castra muniverunt. Malacca tunc nondum diu exstabat, sed mox hic portus factus est maximum emporium, quo merces confluebant ex orbe Sinensi et Oceano Indico.

Zheng He sollemniter affert sigillum imperiale aliaque signa, quibus rex Malaccæ ab Imperatore agnoscatur et eius vassalus fiat. Qui statuit ipse cum familia tributum ad Imperatorem portare; accipitur magnis cum largitionibus.

Cum classis e freto Malaccæ exit, statim in Sinu Bengalensi occurrit insulis *Andaman*, quarum incolæ obstupefaciunt Sinenses; viri enim et feminæ ambulant omnino nudi, quare Sinenses eos vocant «testiculorum ostensores».

Transitus Sinus Bengalensis usque ad insulam Taprobanen⁷ fit intra duas aut quattuor septimanas. Cinnamomum,⁸ tenuis odoratusque cortex parvæ arboris c.n. cinnamomum verum, est insulæ peculiaritas; ibi etiam abundant margaritæ et variæ gemmæ.

Insula tunc divisa est in tria regna inter se infesta, *tamoul*, mahumetanum et *hindu*; Taprobane etiam est sacerrimus buddhismi locus; in summo monte Adami (2.243 m.) vestigium Adami pedis ostenditur.

Classis primæ expeditionis brevem stationem

Taprobanæ fecit in aditu ad Indiam et male accepta est a rege; at non dicitur de quo rege agatur. In reditu iterum brevem stationem fecit, ubi melius accepta est, ut videtur, quia Zheng He post reditum tres stelas curavit incidendas, quas tertia expeditione in insulam apportat; anno 1410 magna cum cærimonia in meridionali litore⁹ ponuntur.

Miri sunt textus in his stelis tribus linguis, Sinensi, *Tamoul* et Persica, incisi. Textus Sinensis incohat longis laudibus Buddhæ dicatis; textus *Tamoul* laudat Vishnou, præcipuum deum hinduismi; textus Persicus invocat Allah eiusque sanctos. Hoc laudandum tolerantiae exemplum in ipsa classe quoque datur, cuius nautæ constabant e mahumetanis, buddhistis et taoistis, quibus addendi erant officiales confusiani.

Post laudes nuntiatur Imperatorem Yongle legatos misisse, qui extraneis civitatibus Imperatoris Mandatum Cæleste nuntiarent. Sequuntur dona; Buddhæ e.g. offeruntur mille nummi aurei, quinque milia nummorum argenteorum, centum volumina sericæ, duo milia quingenta vascula olei odorati et nonnullæ aliæ res ex ære aurato et lacca confectæ.

Hæ largitiones effectum felicem non habent; fortasse excitant regis invidiam et cupiditatem; nam in reditu ex India, cum classis stationem in insula iterum facit, rex loci nullo modo fieri vult Imperatoris vassalus. Invitat navarchum Zheng He, qui in terram descendit cum parva militum copia; ab eo tunc postulat aurum, argentum et varias res pretiosas. Cum neget navarchus, rex filium clanculum mittit cum quinquaginta milibus militum, qui navarchum a classe secludant eamque expilent. In tanto periculo Zheng He audacter se gerit: cum præsidio suo petit urbem caput, quæ, ut putavit, custodibus vacuefacta est; inexpectatus eam facile expugnat atque rege eiusque familia potitur. Filius cum suis rediens impedire non valet ne navarchus eiusque præsidium classem cum captivis petant. Novus rex eligitur, qui Imperatoris vassalus fit.

Tertia expeditio finem habet mense Iulio a. 1412; Zheng He captivos Imperatori tradit. Classis præstantiam Domus Ming in longinquis civitatibus demonstravit; piratas persecuta est, usurpatores expulit et Sinarum socios defendit.

Magna classis, duce navarcho Zheng He, solvit hieme anni 1413 et quartam expeditionem incohat. Longius procedit quam præcedentes; nam post solitas stationes Malaccæ et *Calicut* ad septentrionem progreditur secundum Indiæ litus, sinum de *Oman* intrat et exiguum fretum de *Ormuz* petit, quo accessus datur in sinum Persicum. In hoc freto est insula *Ormuz*, in cuius portum frequentissimum undique confluent

naves et mercatores. Incolæ, omnes mahumetani, sunt locupletes; eos Ma Huan in narratione sua omni modo laudat.

Regi insulæ *Ormuz* utile non videtur vassalus fieri longinqui Sinarum Imperatoris; cum eum tamen sumptuose tractare velit, copiam leonum, camelopardalium, equorum, margaritarum, gemmarum et multarum aliarum rerum offert, inter quas est etiam libellus memorialis in folio aureo insculptus et throno imperiali destinatus.

In reditu quartæ expeditionis a. 1415 Zheng He stationem facere debet in portu *Semudra* in fera regione partis septentrionalis insulæ Sumatræ. Indigenæ quoque sunt satis feri et Ma Huan refert eorum regis faciem ornatam esse notis incis. Qui rex auxilium Imperatoris petivit contra usurpatorem, quare navarcho Zheng He mandatum est regem in throno restituere. Copiæ Sinenses exponuntur, quæ rebelles in montibus non sine difficultate vincunt; eorum dux capitur. Rex tantam gratiam Imperatori habet, ut quotannis tributum sedulo missurus sit. Post classis reditum captivus Imperatori traditur, qui iubet eum coram populo capite puniri.

Inter dona, quæ Zheng He reportat, sunt animalia Africana, zebrae,¹⁰ struthiones et camelopardales; mirum est quod animalia tam alta quam camelopardales Sinensibus navibus vehi potuerunt et etiam magis mirum quod post tam longam navigationem in Sinas viva pervenerunt. Camelopardalis præsertim Sinensium curiositatem excitat; eam vocant *qilin*, quod vocabulum plus minusve itidem sonat ac nomen Africanum sed etiam fabulosum animal significat, cuius rara apparitio est felix præsagium. Ea de causa ministri Imperatori suadent ut camelopardalis magna cum cærimonia recipiatur in una e portis Nankei mœnium; eam comitatur equus cælestis (zebra) et cervus cælestis (oryx).¹¹ Hanc occasionem Imperatorem laudandi eique æternam felicitatem optandi non omittunt optimates.

Mongoli adhuc sunt timendi, eo magis quod Yongle urbem caput in Sinarum partem septentrionalem transferre vult, i.e. propius a Mongolis, ac nemo prævidere potest quid isti facturi sint. Quinquies inter annos 1413 et 1421 Yongle expeditiones facit in eorum regiones, exercitum amplius 200 milium militum ipse ducens. Sed eius impediti pedites Mongolos equites vix vincere possunt nec in promptu habet satis magnam equorum copiam, quam ut validum equitatum instruat.

Quintæ expeditionis classis solvit anno 1417, duce Zheng He, cui mandatum est Indiam petere et in portu *Cochin*, in litore *Malabar* sito, sigillum honorificum



Statua illius Zheng He in Indonesia, Semarang (Wikipedia).

regi dare; stela erigitur, qua iterum laudatur harmonia universalis sub Filii Cæli (i.e. Imperatoris) tutela.

Inde classis petit *Calicut*, non longe distantem, ubi traditam longamque stationem facit. Singulis expeditionibus classis paulo longius ad occidentem velificat. Nunc latum mare Arabicum est transeundum. Classis dividitur in duas partes, quarum prima pænisulam Arabicam petit atque usque ad eius angulum occidentalem progreditur, ubi verno tempore anni 1418 stationem facit in portu *Aden*, caput civitatis *Yemen*. In chronicis Iemenitanis legitur Sinenses navibus *junk* advectos nuntium Domini Sinarum apportavisse cum magnifico dono pro *Yemen* Domino, Sultano Al-Malik Al-Nasir. Magna pompa Sultano allatum est donum, quod e pretiosissimis rebus constabat, splendidis sericis vestibus auro intextis, musco superioris notæ et vasis porcellanis. Invicem Sultanus offert camelopardalem et orygem.

Negotiatores Iemenitæ, narrat Ma Huan, sunt superbi ostentatores. Calor in ea regione vix est tolerabilis; domus non lateribus exstructæ sunt sed lapidibus et e compluribus tabulatis constant, ita ut non pauca duodecim metra sint alta.

Narratori Ma Huan licuit incolarum vestes observare. Principissæ et locupletum negotiatorum uxores in aures aureas gemmatasque gerunt; earum brachia et manus ornatae sunt armillis aureis cum adamantibus. Hæc ornamenta bene conspiciuntur, quamquam in summo capite velum sericum acu pictum gerunt, quo tota facies tegitur.

Inde classis secundum litus meridionale pænisulæ Arabicæ redit et in medio stationem facit in portu *Dbofar*, qui hodie pertinet ad Sultanatum *Oman*. Incolæ, omnes mahumetani, laudantur a relatore Ma Huan; sunt sinceri et modestiores quam Iemenitæ; propter ingentem calorem compluries in die lavantur.



Calicut (Braun & Hogenberg, Civitates orbis terrarum).

Eorum prosperitas provenit ex thuris et celerium equorum exportatione. Sinenses legati magna cum cærimonia a Sultano accipiuntur; pro Imperatoris donis ille thus, sanguinem draconis,¹² aloen et myrrham offert.

Postea classis progreditur usque ad aditum Sinus Persici, ubi in litore Arabico est portus *La'sa*; ambra,¹³ thus et cameli validissimi sunt opes huius civitatis in regione satis arida sitæ. Incolæ nolunt Sinenses accipere; quattuor munitæ urbis portas claudunt. Tunc Zheng He bombardas exponi iubet easque ante portas disponit; una tela mittunt, quibus portæ franguntur tanto inauditoque strepitu, ut rex statim statuatur Sinenses legatos pacifice accipere. Dona commutantur.

Altera classis pars orientale Africæ cornu petit, deinde, secundum litus descendens, æquinoctialem circum transit et saltem usque ad Mogadisium, principalem Somaliæ portum, pervenit. Infeliciter pauca documenta supersunt, quæ de hac expeditionis parte tractent. Mogadisii Sinenses male accipiunt et Zheng He iterum bombardas exponit. Regio est paupera; incolæ vescuntur piscibus siccatis.

Ad meridiem progrediens classis regionem *Djubo* vocatam tangit; eius incolæ in vicis dispersis simpliciter vivunt et piscibus vescuntur, quos retibus piscantur. Neque herbæ neque arbores ibi crescunt; rarissime pluit; aqua haurienda est ex profundis puteis. Feræ bestię tamen non desunt, leones, leopardi maculati et ingentes struthiones. Rex regionis Imperatoris dona grate accipit et invicem res suæ regionis offert.

Perfecta hac prima Africæ exploratione, ambæ classis partes in suam principalem stationem in India, *Calicut*, conveniunt; multa exotica animalia secum ferunt necnon ingentia rhinocerotum cornua, quibus Sinenses eroticas virtutes tribuunt. Africani rhinoceros pluris æstimantur: duo enim cornua in rostro gerunt, quorum maius usque sesquimetrum longum est, cum Asiatici unum tantum habeant et quidem minus. Postea, transito Sinu Bengalensi, naves congregantur in aliam tutam stationem Malaccam et in Sinas perveniunt æstate a. 1419. Imperator participes tantæ expeditionis gratulatur et præmiis donat; ut antea camelopardalis, nunc struthio et psittaci multicolores magna cum cærimonia recepti aularios delectant.

Sexta expeditio navalis, Imperatoris Yongle ultima,

solvit anno 1421, duce Zheng He. Classis iterum dividitur in duas partes, e quibus una petit *Aden*, altera Africam.

Eodem anno 1421 Pekinum, cuius constructio incōhata est anno 1415, fit Sinarum urbs caput; ad tantum opus suscipiendum magna operariorum multitudo adhibita est, quos alere oportebat; cerealia vero necnon materiæ ad construendum necessariæ e Sinarum regionibus meridionalibus apportabantur; quod fieri non potuisset nisi Magno Canali perfecto, per quem quotannis transibant octo fere milia navium, 200 aut etiam 300 milia tonnarum cerealium transportantium. Magno Canali additis magnis fluviis aliisque canalibus, erant tunc in Sinis 50 milia chiliometrorum viarum navigabilium, multo plus scilicet quam in ulla alia orbis terrarum parte.

Imperator Yongle anno 1424 obiit et cum sedecim concubinis necatis sepultus est haud longe a Pekino in magnifico mausoleo, quod sibi extruendum curaverat.

Ei succedit filius maior natus, Hongxi, qui non est eiusdem præstantiæ ac pater. Omnia contraria facit: tollit expeditiones maritimas et vult Nankinum iterum urbem caput fieri. Mala valitudine utens, iam anno 1425 vita fungitur.

Eius filius Xuande, 26 annos natus, succedit; multum amabatur ab avo Yongle, quocum adulescens venabatur et quem in aliqua expeditione Mongolica comitatus est. Est bonus imperator, cui populi miseria est curæ. Avi vestigia sequitur: Pekinum manet urbs caput et de expeditionibus maritimis iterandis cogitat; comperit enim longinquas regiones, quibuscum Zheng He frugiferas consuetudines instituerat, legationes cum tributo adhuc vix mittere. Quare statuit Zheng He iterum in Oceanum Indicum mittere.

Classis septimæ expeditionis, eiusdem frequentiæ ac præcedentes, anno 1431 solvit, duos narratores vehens, Ma Huan et Fei Xin; solitas stationes usque ad *Ormuz* visitat. Zheng He mandatum est ut regem Siami in itinere cogeret Malaccæ regem, quem aggressus erat comprehenderitque, in throno suo restituere; iubetur in futuro vicinos iam non molestare. Pars classis iterum litus orientale Africæ visitat, dum altera petit *Aden*. Inde nonnulli Meccam adeunt; narratori Ma Han, cum sit mahumetanus, licet urbem sacram intrare, cuius loca sacra late longèque describit; ibi, ait, vir sanctus doctrinam suam primum exposuit, quæ inde quocumque manavit; omnes incolæ eius præcepta severe observant. Vinum bibere non licet. Virorum caput est turbinatum; longas stolas coriaceasque soles gerunt; feminarum caput totum velatur, ne facies appareat. Quam mirabili felicitate, concludit Ma Huan,

fruitur hæc civitas.

Classis in reditu congregatur Malaccam, unde in Sinas pervenit æstate anni 1433, secum vehens, præter tributa et extraneos legatos, magnam copiam ferarum bestiarum, camelopardalium, orygam, struthionum etc. Complures menses necessarii erunt, ut hæc multitudo iter Nankeio Pekinum faciat. Xuande præsertim gratias agit Meccæ legatis, qui camelopardalem dono dant.

Regnum boni Imperatoris Xuande infeliciter nimis breve est, cum anno 1435 post brevem morbum vita iam fungatur. Nemo inter Domus Ming successores eiusdem erit præstantiæ.

Prima tertia parte quinti decimi sæculi nulla civitas æquare valebat Sinensium classis potestatem. Post Xuande vero Imperatores, in palatio Pekinensi inclusi, non solum res maritimas iam non curaverunt, sed vetuerunt ne magnæ naves extruerentur neve commercium maritimum fieret. Sinis potenti classe orbatis, piratæ sæviunt in litore et commercium illicitum faciunt; Nankinum diripiunt.

Sinenses semper extraneis diffisi sunt, sed nunc insuper eis non licet cum extraneis communicare. Cum anno 1517 Pirès, Portugalix legatus, licentiam petit Imperatorem adeundi, hoc ei negatur atque iubetur a portu *Guangzhou* (Fr. et Angl. *Canton*) statim abire; nihil in Sinis scitur de Portugalia, nisi istos barbaros Malaccam, Imperii vassalum, sex annis ante expugnasse.

Anno 1557 Sinenses Macaum, solam Portugalensium stationem, mœnibus secludunt.

Portugalensis Vasco da Gama cum quattuor parvis navibus ducentos circiter homines vehentibus, meridionali Africæ extremitate præterita, Oceanum Indicum intrat et, a mahumetanis ducibus in Africæ stationibus raptis adiutus, anno 1498 in Indiæ litus prope *Calicut* pervenit. Una navis in itinere deleta est ac superstites homines pannosi sunt et dysenteria scorbutoque extenuati. Dona, quæ afferunt, mel, petasi et matellæ, conveniebant Africæ indigenis, sed ab Indis despiciuntur.

Hæc tamen prima Portugalensium expeditio in Oceanum Indicum, quem potentibus navibus vacuum inveniunt, est initium ævi Europæorum dominationis. Primus Alphonsus de Albuquerque anno 1506 potitur Dioscoridis Insula, nunc *Socotra* vocata, deinde anno 1507 insula *Ormuz* in aditu Sinus Persici.

Lucrum facere volunt Europæi, et extraneorum civitatum potiri; christianam religionem imponere valent apud indigenas Africæ et Americæ, sed inceptum parum successit in Asia, ubi neque religionem mahumetanam neque hinduismum vel buddhismum



Vasco da Gama depictus ab A.M. da Fonseca (Wikipedia).

tollere potuerunt.

Omnino differebat propositum Imperatoris Yungle, qui tantum gloriam potentiamque suam quam latissime ostendere cupiebat, tributaque cum donis commutare. ☹️

-
1. Bambusa: Fr. *bambou*, Angl. *bamboo*.
 2. Odorico da Pordenone (c. 1286-1331), missionarius franciscanus, unus e rarissimis Occidentalibus fuit, qui illo tempore iter fecerunt ad Extremum Orientem. Eius *Relatio de mirabilibus orientalium Tartarorum* est pretiosum testimonium.
 3. Maracanda est antiquum nomen urbis *Samarkand*.
 4. Caracca (e Genovensi sermone *caracca*, Fr. *caraque*, *nef*, Hisp. *nao*, Port. *nav*): hæc magna navis exeunte Medio Ævo inter primas fuit, quæ in altum navigare potuerunt. Duo mala (interdum plura) habet. E stega eminet castellum anterius et posterius.
 5. Nux areca: Fr. *noix d'arec*, Angl. *areca nut*; complures huius nucis species exstant; ea in usu in insula Iava pertinet ad speciem a botanistis *areca catechu* vocatam.
 6. Temporanei venti: *mousson*, ex lingua Portugalensi *monção*, quod vocabulum originem trahit ex vocabulo Arabico *mausim* (anni tempus).
 7. Taprobane: sic vocata apud antiquos auctores, postea *Ceylan* et nunc *Sri Lanka*.
 8. Cinnamomum: Fr. *cannelle*, Angl. *cinnamon*.
 9. Non longe ab urbe *Galle*, ubi compluribus sæculis post inventæ sunt.
 10. Zebra: Fr. *zèbre*, Angl. *zebra*; non exstat nomen antiquum; *equus zebra* est nomen duodevicesimo sæculo datum a Carolo Linnæo.
 11. Oryx gazella (nomenclatura zoologica): Fr. et Angl. *oryx*; oryx autem antiquitus significat animal, quod Fr. et Angl. dicitur *gazelle*.
 12. Sanguis draconis iam a Græcis Romanisque notus est; est substantia resinacea subrubraque, quæ adhibetur ad vernicium et atramentum parandum; etiam adhibetur in medicina Sinensi.
 13. Ambra: vocabulum mediævale origine Arabicum, quo significatur Fr. *ambre gris* et Angl. *ambergris*.

LIBRI ADHIBITI

- René Grousset, *Histoire de la Chine*, Paris, Fayard, 1942.
 Dominique Lelièvre, *Le dragon de lumière. Les grandes expéditions des Ming au début du XV^e siècle*, Paris, France-Empire, 1996.
 Jean Merrien, *La grande histoire des bateaux*, Paris, Denoël, 1957.

ODORICVS DE PORTV NAONIS

Cum in his paginis modo actum sit de Sinis necnon, Cobiter, de Odorico de Portu Naonis sive Odorico da Pordenone, opportunum videtur aliquam paginam ex eius *Relatione de mirabilibus orientalium Tartarorum* lectoribus proponere. Est enim pretiosum testimonium de regionibus longinquis quas illo tempore rarissimis tantum Occidentalibus adire licuit – etsi tam mirabilia nonnumquam narrantur, ut auctor non semper videatur omnino dignus fide.

Odoricus circa annum 1286 Portu Naonis (in regione Foro Iulii) natus est, anno 1331 Utini vita functus. Iuvenis Franciscanorum Ordinem ingressus est ibique magnæ austeritatis et humilitatis specimina dedit. Post vitam eremiticam in quodam nemore actam ad ‘infidelium’ regiones circa a. 1314 profectus est, ubi sedecim annos remansit et multos homines baptizavit.

Peregrinationis relationem, postquam in patriam rediit, confratri Guillelmo de Solagna a. 1330 dictavit. Qua re peracta, Avennionem adire voluit ut Summi Pontificis benedictione confortaretur, at, in itinere morbo affectus, Utinum ad confratres regressus est, ubi animam Creatori reddidit.

Huius relationis manuscripta sunt complura et satis diversa. Subiunctam paginam (I, IX-X, *passim*) excerpsumus ex editione Franciscæ Maggioni, quæ hoc loco invenitur: *La redazione C9 della Relatio di Odorico da Pordenone*, edizione critica a cura di Francesca Maggioni, <http://ecodicibus.sismelfirenze.it>.



Licet multa et magna de ritibus et condicionibus huius mundi enarrentur, tamen est sciendum quod ego frater Odoricus de Foro Iulii volens transfretare et ad partes infidelium dirigere gressus in eos ut fructus aliquos lucrifacerem animarum, multa magna et mirabilia audivi atque vidi que possum veraciter enarrare (...)

Ut autem sciatis quomodo habeatur piper, sciendum est quod in quodam imperio, ad quod applicui nomine Minibar, nascitur ipsum piper, et non in aliqua parte mundi nisi ibi. (...)

A capite istius nemoris est quedam civitas que vocatur Polumbum, in qua nascitur melius zinziber quod nascitur in mundo. Tot et tanta sunt mercimonia in civitate ista quod incredibile videretur.

Omnes in hac contrata adorant bovem pro deo suo, ipsum dicentes esse quid sanctum, quem sex annis faciunt laborare et in septimo positus est in communi.



Odoricus de Portu Naonis (Wikipedia).

Hunc autem ritum observant et tenent. Nam de mane, cum de stabulo relaxatur, gubernatores ipsius sollicitè urinam per se et feces in diversis vasis argenteis per se facta servitoribus gubernantur† hec feces domino presentantur. De urina huius primo rex abluit sibi manus, de fece vero frontem et pectus cum reverentia se perungit. Totaque familia regia et universi, qui de fecibus predictis possunt de grande modo aliquo acquirere vel habere, easdem unctiones sibi faciunt ut supradictus imperator. Et sic credunt esse sanctificatos unctionibus predictis.

Hii similiter aliud idolum adorant biforme medium bovem et reliquum autem hominem. Hoc idolum ad interrogata respondit quod quandocumque sanguinem quadraginta virginum mandat aspergi; huic enim idolo ita vovent homines et mulieres sicut hic sanctis et Christi fidelibus tempore oportuno et specialiter in habitu regulari. Et sic per istum modum homines interficiunt filios et filias suas, sanguinem quorum idolo aspergunt. Unde multi et infiniti ista morte pessima moriuntur. Multa enim facit populus antedictus que audire auribus incredibile videretur. In hac autem insula et regno habentur multa alia et nascuntur que non multum expedit enarrare.

Aliam autem consuetudinem habent idolatre huius regni: nam quando aliquis moritur, ipsum mortuum comburunt, et si uxorem habet ipsam comburunt vivam, cum asserant ipsam ire in alieno regno et esse consortem viri sui. Si autem uxor habet filios mariti proprii supradicti pro educatione eorum cum eis manere dimittunt ad suum libitum voluntatis, quod si hoc non facit vilissima reputatur. Si autem mulier ante ipsum virum moreretur, vir eius, si vult, comburi se facit cum uxore; si autem lex aliqua eum non coartat et si vult, statim uxorari potest iuxta libitum sue voluntatis.

Alia etiam consuetudo illic habetur: nam mulieres vinum bibunt, homines vero non. Mulieres etiam faciunt sibi radi barbam et visum, homines vero non. Et sic de multis aliis mirabilibus et bestialibus que ibi fiunt, que non esset coram bonis fidelibus proplare. ☪

QVÆDAM MYTHISTORIA GRÆCA IN SICILIA (II)

– scripsit Fabius Martines –

Certior de raptu facta Demeter, cogitans se carissimam filiam in perpetuum amisisse, dolori ac summæ desperationi se dedit. Quare avulso diademate ab insigni miraque coma pullis velis se textit et ab Olympo discessit ad miseram Persephonen quærendam. Eiulans acerrime supra æquora terrasque volitabat animos commovens atque in fatum execrans. Duas pinus flagrantis manibus tenens ab Ætna succensas per novem dies sine nectari neque ambrosia Demeter erravit increpans in ingratas terras et præcipue in Siciliam ante alias quippe quia ad Cyanes fontem in gurgite fluitantem Persephones zonam delapsam vidit. Tum maxime his indiciis Demeter iracundia exarsit et iram effudit in omnia hominum opera etiamque cursum rerum.

Fertilitas terræ, præcipue in agris Siciliæ, modo nimio sole modo nimio imbre extincta est nullaque sata germinaverunt nec creverunt. Terræ frugiferarum arborum segetumque feraces mutabantur in deserta, in inculta loca. Donec nymppha fluvialis Arethusa valde sollicitata supplicavit Demetri, ut iracundiam cohiberet contra innocentes terras et ei nuntiavit se Persephonen aspexisse in imo Averno, quando ipsa sub terris gurgite Stygio labeatur. Quæ mæsta erat, sed silentium regis uxor.

Auditis his vocibus, Demeter obstupuit; magis magisque attonita curru vecta est per viam cælestem ac supplex a Iove postulavit ut eius frater Pluto filiam redderet, quæ alioquin eius erat neptacula.

Non plane adversus pater deorum videbatur, sed, cum iam factum infectum fieri nequiret, controversia componenda erat, quandoquidem terrestria rursus in ordinem cogere necesse erat. Iuppiter morem gessit Demetri; cum tamen fratri obloqui haud posset, statuit ut Persephone ad matrem rediret dummodo ieiunium ex Parcarum fas servaret. Redire tamen non licuit, cum in quendam hortum vagans iuvenis dea malum granatum (cibum silentium et scientiæ arboris) carpisset, cuius septem suavissima grana sumpsisset.

Deprehendit eam quidam Ascalaphus, filius infernæ nymphæ Orphnæ, qui ita impedivit ne delata redire posset. Quapropter confestim Demeter rursus capillis compositis ivit reclamatum apud Iovem, qui summus interpres quæstionem solvit eo modo, ut utrique litigantium volvens annus divisus ex æquo esset. Sic ipse decrevit.

Persephone ergo, cum iam duorum regnorum commune numen esset, per sex menses apud matrem commorari totidemque apud coniugem poterat. Talis fuit *inferna pactio*.

Tum adferens nuntium Hermes deorum nuntius



Hoc pulcherrimo anaglypto ostenduntur Demeter, Triptolemus et Persephone (Eleusine – Athenis in Museo archæologico).

Avernum petivit. Demeter ita filiam rursus amplecti potuit et ad Olympum deorum feliciter reverti. Quamquam per breve tempus prope filiam suam adesse poterat anni temporum vicissitudines consuetæ rectæque redierunt. Simul ac primo vere Persephone liberabatur, tellus frugibus atque discoloribus floribus in viridissimis pratis tegebatur, arboreæ frondes fecundæ fiebant, donec autumnalibus messibus et samentis collectis dea in inferos redire debebat et ibi usque ad novum primum ver exspectare.

Ut corollarium fabulæ addenda est narratiuncula de Triptolemo, adulescentulo filio Celei Eleusinis regis, qui deæ Demetri ac mysteriis Eleusinis consociatus operam dedit ut frugum cultus pervulgaretur. Demeter enim, ut Homerus tradit, cum anus aspectu Eleusinem petivisset, benevole a rege Celeo hospitio excepta est ut educatrix eius liberorum Demophoontis et pueruli Triptolemi.

Grata erga Celeum pro hac benigna acceptione, dea non solum in regis filiorum curam incubuit, sed etiam Demophoontem erudire cœpit, ut eum immortalem redderet: eum divino suo afflatu aluit noctuque igni laris familiaris exposuit. Cum autem ad hunc ritum esset occupata, casu advenit Metanira pueruli mater, quæ anxio clamore ritum interruptit; puer de manibus delapsus e vita exiit. Demeter tum est agnita.

Triptolemus eam certiore fecit de re mirabili: porcum nuper hiantem terra haustum esse, dein magno fragore quadrigas nigris equis tractas per eandem rimam

absorptas esse; gubernatoris quidem faciem non fuisse visibilem, eum tamen clamantem puellam arte complexum esse. Fama fert Demetrem inde totam rem intellexisse.

Demeter Triptolemum docuit artem cerealia serendi, ut ipse et Græcis et humanitati eandem artem postea traderet. Novam artem Triptolemus quocumque divulgare cœpit. Cum autem in Scythiam perveniret grana messibus necessaria distributurus, rex Lyncus cum eo truculenter altercatus iuvenem ferro aggressus est. Demeter autem se rixæ interposuit regemque in lyncem mutavit.

Demetris et Persephones sacra non solum Eleusine celebrabantur in Attica, ubi festa agraria quotannis agebantur sollemnibus pompis et multitudinibus virginum laudes canentium, sed etiam in Sicilia, præsertim apud Sicanam Hennam et propinquum lacum Pergum, qui unus erat ex aditibus ad Avernum, simillimus illi lacui apud campos Phlegræos sito. Ut Eleusine, ita in Magna Græcia circiter æquinotium autumnale loca sacra religiose petebantur, ubi Eleusina Mystera commemorabantur. Ceu in scænis frugum satio et Demetris labores et Persephones inventio repræsentabantur præsertimque eius nuptiæ cum deo Plutone.

Eleusinia, quæ iam ante Homeri hymnum Demetri dicatum celebrabantur, e Græcia in colonias exportata sunt. Cum in mythistoria tum in cultu par Demetris filiæque Persephones est indissolubile. Varia eis data sunt nomina: mater et puella, anus et iuvenis, claræ deæ, augustæ, venerabiles, magnæ deæ. Alibi aliisque temporibus Demeter diversimode appellata est: Tiara, Terra, Legislatrix non solum anni temporum sed etiam humanæ vitæ.

Cum eius cultus coaluit in Magna Græcia et in Sicilia, in summa rupe Hennæ, quæ denique Latine vocata est Cereris rupes, exstabat magnifica ædes ei dicata, sicut Eleusine. Quotannis cærimoniæ celebrabantur et in fano memorabatur Persephone-Kora quoque, Latine denominata Proserpina, quæ in incolarum conspectum uberrimum ver necnon agros æstate frugum fertiles præbebat. In fano hoc prærupto etiam fiebat initiatio sacrorum Eleusinorum, sicut in Græca civitate.

Horum mysteriorum mystica doctrina duo sacra continebat: primum 'parva mysteria', quæ verno tempore celebrata constabant e sacris lustrandi: neophyti a sacerdotibus ducti ut mystæ fierent multa per lustrum experiri debebant et caste vivere. Dein 'magna mysteria', autumno tempore celebrata, erant ritus precationis, quo mysta scientiam quandam attingere poterat, cum arcana vitæ mortisque cognoscere tum mortis timorem depellere. Ad novos initiatos etiam pertinebat



Cereris rupes Hennæ (www.ilcampanileenna.it)

cultus Dionysi, iam in mysteriis Orphicis celebrati, qui dicebatur coniugio Demetris et Neptuni genitus esse.

Per sollemnia mystæ pantomimum agebant, effingentes Persephones raptum, Demetris iram et mærorem, gaudium post inventam Persephonen, ut in scæna ostenderentur vicissitudines et sollertem vitam agrestem. Liturgia habebatur publica magnificentia; pompæ sollemnes Eleusine Athenas et rursus fiebant, inde cærimonia incipiebatur.

In hoc itinere ab initiatione usque ad summæ virtutis adeptionem, initiati percipere debebant tres addiscendi gradus: 'quæ dicta', 'quæ facta', 'quæ exposita'.

Voluntate necnon rectis moribus quadam lustratione necnon arcanis formulis precationibusque deinde sacra munera contemplari poterat. Denique uno anno post mystæ licebat ἐποπτεῖαν experiri a quodam hierophanta institutam, quæ erat condicio ad beatissimum animi statum comprehendendum. Sic, cum novam conscientiam percepisset et ad altius metaphysicæ fastigium pervenisset, mysta fiebat epopta.

Quomodo autem dearum fabula cum ritu Eleusino coniuncta sit, intellegere difficile est. Utcumque sectatores incredibili studio sibi proponebant, ut ultra mortem reviviscerent ac salutem obtinerent, quam tantum percipere potuissent si intelligendi vim facultatemque acquisivissent et definitis ritibus interfuissent.

In cursu initiationis tiro, postquam signum dixerat, quandam symbolicam potionem sorbebat, in qua verisimile est sacerdotem stupefactivo medicamento usum esse: mandragora, quæ herba hallucinogena venenataque in agris Mediterraneis late provenit, aut frugum fermentatione, cuius effectus Dionysiacus iam erat in Ægypto adhibitus, aut opio papavereo, aut probabilius fungo frumenti parasitico (*claviceps purpurea* vocato), qui acidum lysergicum (LSD) continens inducit alienationem animi. Mystæ ergo laborabant affectione medicamentorum stupefactivorum. ☪

(continuabitur)

SERGIUS MATTARELLA

NOVVS ITALIÆ PRÆSES REIPUBLICÆ

– scripsit Victorius Sebastiani –

Iovis die 31 mensis Decembris a. 2015 hora 8.30 vespere alteram orationem televisivam brevem Sergius Mattarella, novus Præses Reipublicæ duodecimus electus, post priorem antea factam die Nativitatis, pro Italis habuit. Ambo sermones unum sunt.

Homo ille Siculus, Romæ in Universitate quæ «Sapientia» dicta est, Legi Constitutionali studuit et lauream consecutus est maxima cum laude. Postea Panormi, quæ nota Universitas est, Ius Constitutionale per 18 annos docuit. Cum Romæ vixit ut legatus popularis factionis catholicorum, ab omnibus partibus in Curia Populari humane valde laudatus est ut iuriconsultus, propter optimum auxilium ad institutiones publicas emendandas. Postea per annos in Curia Constitutionali magno cum honore operam dedit ut studiosus et expertus Chartæ Constitutionalis, quæ post alterum bellum mundanum anno 1947 scripta est.

Il qui primi scriptum illud inceperunt hoc fecerunt anno 1942, clandestine contra regimen dictatorium, mortem timentes: num sacrificium humanum non fuit?

Præses Reipublicæ suis propriis orationibus multa dixit et inter alia affirmavit duo principia fundamentalia pro Constitutione hodie in civium animo deficere vel abesse. Quæ sunt: 1- integra æstimatio; 2- animi motus.

Secundum Mattarellæ politicam mentem, sunt cives qui hodie de Constitutione Reipublicæ haud multam benevolentiam habent. Civiliter Italos sic monuit!

Mea sententia, factum simplex non est. Certe homines, qui in altero bello mundano inter vitam et mortem vixerunt necnon postea sacrificia humana pro Italia fecerunt, post 70 annos permulti perierunt. Præterea, iuvenes hodie historiam non semper apte sciunt et permulti propter inoccupationem irati sunt; ergo peregre eis fortuna temptanda est, ut semper Itali tempore præterito fecerunt: Italia populus migrantium est! Huius rei oblivisci fieri non potest. Materæ, quæ hodie ab Europa «Civitas Humanitatis Europææ a. 2019» facta est, sunt vici circum urbem ubi migrantes numero superant eos qui in vico Italico incolunt (e.g., in vico cui nomen est *Pisticci* cives 17.000 sunt sed ii qui Toronti habitant, in regione Canada dicta, 30.000 sunt). Factum novum non est, quia anno 1924 cives, qui Lucaniam vel Basilicatam propter inoccupationem reliquerunt, numero superaverant eos qui regionem illam Italiæ Meridianæ incolebant.

In Constitutionis capitibus 2 et 3 res scriptæ sunt, quas post alterum bellum mundanum regimina Italica adhuc satis non perfecerunt etiamsi in democratia fuerint, de quibus rebus Patres Constitutionis «apte» scripserunt tamquam capita illa de monito benigno fuissent, quoniam historiam funditus sciebant. Res sunt: 1- soli-

darietas œconomica (pecunia et vectigalium recta disciplina); 2- solidaritas socialis (vitæ certæ pro omnibus bona disciplina); 3- solidaritas politica (officia politica et socialia sine œconomicis privilegiis).

Secundum Ethicam pro cultu et civitate solidaritas «condicio sine qua non» est omnino: sine solidaritate cultus et civitas non exstant.

Revera adhuc hæ res in civitatis leges modo plenonondum in Curia Populari versæ sunt, ergo propter impedimentum ad vitam socialem et humanam in Italia tempora difficilia current.

Constitutionis Patres «capite 53» sic dixerunt: «Omnibus civibus officium satisfaciendum est pro sumptibus publicis ad integrum bonum commune (iam capitibus 2, 3 et 4 explicatum) secundum id quod habent.» Sed fenora «de iure» solvenda sunt a mensuris parvis usque ad illas graviore, at «de facto» mathematice numeris rectis et aptis pro omnibus ea non progrediuntur, quia in Curia Populari «fenora progredientia secundum copiam divitiarum» lege nondum facta sunt. Profecto, in Constitutione Italica legitur «fenora progredientia» et non «fenora commoda».

Populus iam diu exspectat! Ergo, pro nova historia sociali Italis alia exempla opus sunt omnino.

«Iure» et «lege» sacrificia tam recte imponenda sunt ut omnes cives, meritis non afflictis, vitam simplicem et certam pro omnibus accipiant bono animo. De vita futura «iura humana et leges sociales» arbitrabuntur, nihil aliud! Si democratia hodierna recte effecerit, locus Curia Popularis erit!

Carolus A. Ciampi, qui tempore præterito optimus Præses Reipublicæ fuit, dixit nomen Chartæ Constitutionalis «Biblia laica» esse. Diebus nostris, si S. Mattarella quidem bonam imaginem catholicam nunc dat, C.A. Ciampi cultum liberalem Italiæ dedit. Sed optimam imaginem historicam certe expresserunt S. Pertini et G. Napolitano quoque, qui Præsidentes Reipublicæ fuerunt prior socialista et alter communista.

Profecto Itali boni, cives omnes et libera mente cogitantes, rixari non possunt et non debent in democratia hodierna. Iuribus humanis observatis et officiis necnon muneribus sine privilegiis peractis, religio metaphysica tradita et religio humana naturalis non metaphysice exstructa et mens humana libera sine dubio facile consentient et cives omnes una vitam socialem amabunt et Italiam adorabunt! ☺



FACTOR

– scripsit Georgius Ludovicus Borges, in Latinum vertit Franciscus Loaliza-Lemos –

Numquam permanserat in voluptatibus memoriæ. Perceptiones ab eo labebantur, momentaneæ vividæque; cinnabaris figuli, firmamentum stellarum repletum quæ etiam dei erant, luna a qua leo ceciderat, levor marmoris lente sensibilibus extremis digitis tactus, sapor carnis apri, quam ei placebat morsibus dilacerare candidis et asperis, verbum punicum, atra umbra quam proiicit hasta supra croceam harenam, proximitas maris aut mulierum, vinum onerosum melle levatum: hæ res poterant ambitum totum suæ animæ circumscribere. Terrorem expertus erat sed etiam iram et audaciam, et olim primus fuit qui in murum inimicum ascendit. Avidus, curiosus, fortuitus, sine ulla lege nisi illa fruitionis et indifferentiæ immediatæ, ambulavit per regiones finesque variegatos et aspexit, in utroque litore, urbes hominum et aulas regias eorum. Aut in nundinis plenis hominum aut ad radices montis cum ignoto culmine, complexas audiverat historias quas accepit æquo modo quo accipiebat quotidiana experientia sine ulla indagazione utrum veræ aut falsæ essent.

Gradatim formosum universum eum reliquit; pertinax caligo abrasit lineas manus, nox facta est depopulata stellarum, et solum se in incertum sub pedes convertit. Omnia amota sunt et confusa facta sunt. Cum intellexit se cæcum fieri, conclamavit; pudor stoicorum nondum inventus erat et Hector poterat sine detrimento effugere. Hoc accepit, quod neque cælum plenum terroris mythologici neque suam faciem a tempore mutatam denuo videret. Noctes et dies præteriverunt supra desperationem corporis sui, sed demum mane quodam experrectus est, et aspexit (iam sine admiratione) res oblimatas quæ eum circumstabant et inexplicabili modo sensit, sicut ille qui vocem aut musicam noscit, se hæc omnia iam dudum expertum esse, se his opposuisse cum timore sed etiam cum gaudio, spe et curiositate. Tunc descendit in memoriam quæ ei interminabilis videtur, et potuit ex hac vertigine extrahere amissam illam recordationem quæ denuo


refulsit sicut nummus sub pluviam, fortasse quia illam nunquam prius inspexit, nisi forsitan in somnio.

Recordatio fuit sic. Iuvenis alius ei fecerat iniuriam et is rediit ad patrem et ei eventum enarravit. Pater sivit ei historiam referre sicuti nihil auscultavisset aut intellexisset et refixit a pariete pugionem aeneum, pulchrum et pollentiæ plenum, quem puer clam cupiverat. Nunc eum in manibus tenebat et hæc res inopinata latam iniuriam abrogavit, sed vox patris dicebat: vide ut quispiam sciat te virum esse, et iussus in voce inerat. Nox vias obcæcabat; pugionem amplexus, in quo magicam vim præsentiebat, descendit clivum asperum qui domum circumstabat et cucurrit ad litorem somnians se Aiaceum et Perseum esse et implebat vulneribus et præliis amaram obscuritatem.

Requirebat nunc exactum saporem huius momenti; alia iam non eius intersunt: ignominia provocationis, flagitiosa pugna, reditio cum lamina sanguinolenta.

Alia a prima recordatione germinavit quæ etiam noctu accidebat et imminentibus cum casibus. Mulier, prima quam ei dei concesserunt, exspectabat eum sub umbra hypogei. Perquisivit eam per petrea ambulacra et clivos qui in umbram summergebantur. Quamobrem adveniebant memoriæ istæ et qua de causa adventabant sine amaritudine, sicut præfiguratio præsentis temporis?

Gravi cum metu intellexit. In nocte hac mortalium oculorum suorum in quam descendebat eum exspectabant etiam et amor et pericula. Ares et Aphrodita, quia iam divinabatur (quia eum iam circumscribebat) rumor gloriæ et hexametra, rumor hominum pro defensione ædis pugnantium, quam dei non servabunt, et rumor hominum cum navigiis atris quæ pelagus perscrutant dum petunt insulam amatam, et rumor Odyssearum et Iliadarum quas suum fatum erat canere et concaviter resonantes in humana mente relinquere. Res istas scimus, sed non eas quas sensit cum in ultimam umbram descendit. ❧



In hoc fasciculo !

Post Bruxellensem ictum tromocraticum [F. Deraedt] p. 1
Nuntii de regione Sabel [G. Licoppe] p. 4
Stupendum XV^{um} sæculum in Sinis [G. Licoppe] p. 5
Odoricus de Portu Naonis p. 12
Quædam mythistoria Græca in Sicilia (II) [F. Martines] p. 13
Sergius Mattarella novus Italiæ præses Reipublicæ [V. Sebastiani] p. 15
Factor [G.L. Borges - F. Loaiza-Lemos] p. 16

Imago tegumenti: camelopardalis a Bengala dono data
(imago temporis Domus Ming aut Qing - Wikipedia).

Latine loqui :

Conventiculum Bostoniense - 26 m. Iulii - 3 m. Augusti a. 2016
https://www.umb.edu/academics/caps/summer_programs/institutes/latinbysea

Conventiculum Dickinsoniense - In Pensilvania, 5-11 m. Iulii a. 2016
http://www.dickinson.edu/info/20033/classical_studies/61/teacher_workshops

Conventiculum Latinum - Lexingtoniæ, 24-31 m. Iulii a. 2016
<http://mcl.as.uky.edu/conventiculum-latinum-lexingtoniense-2016-latine>

Feriæ Latinæ Ferigoletenses - 20-27 m. Iulii a. 2016
marie-antoinette.avich@orange.fr

Linguae Latinæ institutio æstiva - Romæ apud Academiam Vivarium Novum
<http://vivariumnovum.net>

Septimanæ Latinæ Europææ - Amœneburgi, 30 m. Iulii - 6 m. Augusti a. 2016
Frisingæ, 21-27 m. Aug. a. 2016
<http://www.septimanalatina.org>

Societatis Latinæ seminaria Latinitatis vivæ - In abbatia Otiliensi, in Bavaria, 18-23 m. Iul. a. 2016
In oppido Theulegio, in Saravia, 7-13 m. Aug. a. 2016
www.voxlatina.uni-saarland.de

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 20 eur. / 25 \$

BNP Paribas Fortis :

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539



MELISSA